

more de Periculis Ecclesiae vel novissimorum Temporum, Scripti Vol. super. non semel indicati, hic vero in verbis: *et fideles layci habent presbiteros suos*, abrupti, momente Librario: *Defectus sequens videatur et suppleatur, si inveniat*.

CCCXCIV.

U. 263 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 73. f. ita exaratus per duas columnas, ut facile anterioris Seculi haberi posset, rubricis distinctus et olim, ut anterior Theca indicat, *Petri Gnem de vlr.* (Ulrichsdorf, Ulrichskirchen, Ulrichschlag?) *Presb. Pat. Dioc.* folio *praevio* habet Elenchum sat longum eorum, quibus neganda sit Communio eucharistica, quorum agmen claudunt: *Qui excogitant novas exactiones contra commune bonum hominum, et conditores novarum legum contra diuinas*; dein vero succinctam Chronologiam, quae incipit: *Anno a creacione mundi II^m. C. LXXXIII. Abraham vidit tres et unum adoravit* &c. et ita definit: *Anno 1439. Fridricus 3^{us} dux Austrie electus est.* Codex jam ipse orditur a *Gregorii M. Pastoralis*, cujus initium jam saepe relatam: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. Exemplum fati castigatum legit in Prooemio: *ut lectoris animus — gradiatur, sensu meo melius, quam: ut liber ad lectoris sui animum — gradiatur*; peccat vero mox legendo *cauta consideratione pro quanta,*

et doctrina destruat pro destituat. In Operis conclusione habet: *bone frater pro bone vir, tabula me suscipe pro sustine, tui me apud deum meriti pro tui me meriti*, quorum nihil *Mauriani* notarunt.

II. fol. 40. Orationis dominicae sequitur Expositio, quae infit: *Pater noster. Patrem se magis quam dominum voluit dici* &c. Bonae frugis, sed videtur abrupta, nam ultra: *Dimitte nobis debita nostra* &c. nihil exponitur.

III. fol. 42. *Epistolae* Apostolicae vers. vulg. et primum quidem *Paulinae*, dein *Canonicae* omnes. I. *Job. c. 5.* Testimonium triplex legitur a prima manu, absque omni refectione, ut hodie in impressis Exemplaribus.

IV. fol. 70. p. 2. Notata quaedam de Sacerdotum dignitate et potestate circa sacra Mysteria et de modo Resurrectionis futurae Corporum, quibus adscriptum: *Anno domini 1430. Ulrichus Zepff.* Antiquarius merito dicendus, ita characteres vetustiores aemulatur.

V. fol. 71. p. 2. alia manu *Bulla Eugenii IV.* data *Rome 1433. VII. kal. Jun.* qua *Urbani IV.* et *Martini V.* Constitutiones de Feste *Theophoriae* confirmantur. Init: *Excellentissimum Corporis et Sanguinis domini nostri ihesu christi sacramentum* &c. et habetur *Bullar. Cocquelin. T. III. Romae 1743.* p. 9. f. Adtextae sunt ab illorum utroque indultae noxarum veniae et gratiae, ad quarum calcem ita lusit Scriptor:

Sorte supern scri libri poc
 orum ptor iatur.
 Morte superb ra libri mor

Démum, ut fol. praevio, ita hic ultimo Chronologica quaedam adscripta sunt, et quidem fabulosa illa Series Principum Austriae ab Abrahamo pagano et uxore Susanna, annoque VIII. X. XII. die Mensis Junii per Judaeos ad Christianos et Ladislaum Posth. a. 1440. deducta, cui Ludovici Bav. et Rudolphi Habsburg. Genealogia inserta est. Castigavit illam pro merito Aen. Silvius in Hist. Friderici III. Imp. Adi Kollarii Analector. Vindob. T. II. a col. 15.

CCCXCV.

R. 3092 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 119. 4. eleganter a prima manu scriptus, et rubricis distinctus hanc in fronte Notam praefert: *Hunc librum emimus ab augustinensibus pro XII. solidis Anno Domini M. CCCC. decimo Octavo id est in primo anno ingressus mei ad hoc Monasterium sancte Dorothee virginis. Igitur Vienna. Est autem hoc Titulo: In nomine domini nostri ihesu christi incipiunt capitula in primo Libro dialogorum. Videlicet B. Gregorii Papae. Ita et Libri III. reliqui suum Capitulare praevium habent, quod manus quaedam posterior uberius contenta explicando passim deturpavit, secundo excepto. Operis a me jam non semel relati principium est: *Quadam die dum nimis**

quorundam secularium tumultibus depressus &c. Omnia integra. Textus cum edit. Maur. T. II. Paris. 1705. col. 149. bene conspirat; legit tamen sub ingressum *excoqui cordis dolore pro languore*, item *nec tamen se perdidisse meminerit pro si tamen se*, quod ajunt Mauriani reperiri in omnibus Mfs, ipsi interim suspicantes, legendum esse *sic tamen ut se*, item *ut cum nauigamus longius pro quia cum* &c.

Addam Adclamationes ad Codicis calcem inventas, quas ex ingressu prope erat, ut satyricas crederem: *Cum Symon christo donante episcopatus apicem conscenderit. fruatur huiuscemodi benedictione. Omnipotens sua gratia deus vos benedicat. & ab omni malo defendat. Amen. Et quoniam pro eius honore ad dedicandum eius templum aduenistis. faciat vos perseverare in operibus bonis. Amen. Et quando ipsius iussu de hoc seculo migraveritis. tunc perfecti inveniamini. ut cum gaudio aggregari sanctorum cetibus mereamini. Amen. Omnipotens deus sua vos clementia benedicat. & sensum in vobis sapientie salutaris infundat. Amen. Catholice fidei documentis enutriat. & in bonis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus uestros ad veram vite viam dirigat. viamque vobis pacis & karitatis ostendat. Amen. Benedicat vos dominus. custodiat vos ihesus christus. illuminet*